



HISTORIARUM VENETARUM ANDREAE MAUROCENI LIBER QUINTUS.



Um hæc Venetiis summo studio fierent ,
Romæ de fœdere adversus Turcas ineundo
sedulo agebatur . Res magnæ molis erat ,
quæ non facile explicari posset : multæ ma-
ritimæ , ac terrestres copiæ ad hostem inva-
dendum cogendæ erant , quem superioribus
victoriis intumescens aliqua felicitis even-
tus spe adoriri difficile admodum , ob in-
gentem de illius potentia conceptam opinionem , censebatur .
Triremes ducentæ , omnis generis cum majora , tum minora
navigia ad classem conflandam requiri videbantur ; quinquæ-
ginta peditum millia , quatuor equitum paranda erant . Multa
de fœderum conditionibus , quota pars singulis pecuniæ , vi-
rium maritimarum , ac terrestrium contingeret , disceptandum
erat . Quæ cum mora egerent , præsentemque opem Corcyraeo-
rum rebus exposcentibus , cunctatione ad classes conjungendas
mi-

1537